



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

128 Thalmud, & alij libri prohibiti hebraeorum sunt diligentissimè
perquirendi, & illos habentes graviter puniendi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

quam quibuscunque typographis, bibliopolis, seu mercatoribus, & aliis quibuscunque Christi fidelibus, † sub pœnis amissionis librorum, & publicationis omnium bonorum fisco ejus Principis, in cuius ditione libri reperti fuerint, applicandorum, ac alijs, etiam gravioribus, & corporis afflictivis arbitrio dicæcesani, ac etiam Inquisitoris statuendis, ac moderandis, necnon, quo ad Christianos, etiam excommunicationis majoris latæ sententiæ per unumquemque contrafacientem eo ipso incurrendæ, ne hujusmodi libros, & alia scripta superius prohibita, ut præfertur, retinere, habere, legere, edere, typis excudere seu imprimere, describere, vel exemplare, advehere, emere, vendere, donare, commutare, aut aliàs quomodolibet distrahere, vel alienare præsumant. S. R. E.

127 Cardinalibus adversus hæreticam pravita-
128 tem † in toto terrarum orbe generalibus Inquisitorib⁹, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, cœterisq; locorum Ordinariis, & Inquisitoribus quibuscunq; ejusdem hæreticæ pravitatis, in quibusvis Regnis, Provincijs, & civitatibus pro tempore exsistentibus, Apostolica auctoritate mandavit, quatenus sic prohibitos libros, & scripta diligentissimè perquirant: & contra eos qui super retentione hujusmodi culpabiles reperirent, ad prædictatum, & aliarum etiam graviorum eorum arbitrio pœnarum executionem procederent, *ut in litteris Apostolicis pridie cal. Martii, anno 1592. expeditis, & de more publicatis.*

129 Quamplures Romani Pontifices † pro tempore existentes maximè etiam invigilarunt, ut voracitates, ac flagitia Hebræorum in usuris præsertim extorquendis

omni vi, & via cohiberentur, quibus licet mansuetudo Christianæ pietatis aliquando dignis de causis per Summos Pontifices denegata non fuerit, nihilominus contra piam eorundem mentem, & intentionem indultis pravè abutentes, eò tandem sunt progressi ut adversus divinas, naturales, humanasque leges magnis, & gravibus pecuniarum vsuris, quas præsertim à pauperibus, & egenis exigunt monopolis illicitis, & fœneratijs pactis, fraudibus, dolis in contrahendo, ac fallacijs plurimos cives, & incolas ditionis temporalis ecclesiasticæ, ubi commorantur, miserè exhaurerint, circumvenerint, bonis spoliaverint, ac tenuis potissimum fortunæ homines, præsertim rusticos, & simplices, non solum ad extremam inopiam, & mendicitatē, seu propemodum in servitutem redegerint.

130 Multa præterea, † quidem graviora scelera, & flagitia, & ipsi commiserint, & perditio cuiq; ac nequissimo in facinorib. patranda suam libentissimè operam & quamcunque potuerunt, opem præstiterint. Quapropter idem Clemens Papa VIII. prædecessorum suorum vestigijs in hærendo; primùm quidem constitutiones Pauli, & Pii, eorundemque litteras innovavit, illisque perpetuæ inviolabilis, & inconcussæ firmitatis robur adiecit, litterasque Pii Papæ IV. & Sixti V. quatenus eorundem litterarum Pauli IV. & Pii V. adversantur, revocavit, cassavit, abolevit, & annullavit, irritaque cassi & nulla decrevit, ac sua perpetuò valitura
131 constitutione præcepit, & mandavit, † ut omnes, & quicumque Iudæi utriuslibet sexus, qui in quibusvis ditionis suæ temporalis universæ civitatibus, etiam Bononicæ, & Beneventan. oppidis, ter-